



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Örigenus Tōn Eis Tas Theias Graphas Exēgētikōn Apanta Ta Ellēnisti Heuriskomena

Cui idem præfixit Origeniana, Tripartitum opus, quo Origenis narratur vita,
doctrina excutitur, scripta recensentur

Origenes

Rothomagi, 1668

Inhaltsverzeichnis

urn:nbn:de:hbz:466:1-25059

I. Procellarum adversus Origenis etiamnum viventis doctrinam concitarum series summam repetitur. II. Sedata Origenis morte odia non multo post recrudescunt. III. Prierius Alexandrinus Origenes iunior dictus. Theognostum Alexandrinum inter Origenis affectas ponit Photius. IV. Arianis temporibus Origenis doctrina denuo impugnari cepta est ab Orthodoxis, quod eius sibi patrocinium ascescerent Ariani: V. quam tamen benigne interpretari maluerunt Athanasius, Basilus, & Gregorius Nazianzenus. VI. Origenianas partes tumentur Hilarius, Euzoius, Titus Bostrenus, Didymus, Ambrosius, Eusebius Vercellensis, B Victorinus Petabionensis, Gregorius Nyssenus, & ipse etiam Hieronymus, qui subinde tamen mutavit consilium; quas oppugnant Theodorus Mopsuestenus, & Apollinaris. VII. Duplex Origenistarum genus, Orthodoxorum, & Heterodoxorum. VIII. Origenista Heterodoxi ex Aegypti monasteriis fere prodierunt. IX. Johannis Hierosolymitani cum Epiphano & Hieronymo dissensio; X. & Hieronymi cum Rufino; XI. quos in gratiam reducere student Archelaus & Theophilus. XII. Scribit ad Pammachium Hieronymus adversus errores Johannis Hierosolymitani; XIII. & ad Theophilum. XIV. Augustinum quoque per literas ab Origenismo absterret. XV. Romam revertitur Melania cum comite Rufino; XVI. qui cum Apologiam Pamphili, libellum De adulteratione Operum Origenis, & eius libros *de apocrypho* in Urbe publ. Cassi, à Marcella repressus est. XVII. Certior de his factus Hieronymus libros *de apocrypho*, interpretatur. XVIII. Tres libros contra Hieronymum scribit Rufinus. XIX. Anastasius Papa damnat errores Origenis, XX. & ipsum Rufinum. XXI. Hieronymus & Rufinus scriptis mutuo se laceffunt. XXII. Mortem oppetunt Melania senior, & Rufinus. XXIII. Origenismi tradux Pelagianismus, Pelagianismi Nestorianismus. XXIV. Renascitur in Hispania Origenismus, sed eliditur opera Augustini; penitusque tandem in Occidente profligatur. D

I. QVAM varia hominum iudicia & voluntates experta sit Origenis doctrina dituros, pauca quadam repetere oportet, praemissa iam à nobis, cum ipsius vitam scriberemus. Demonstratum est autem turbarum omnium, quae adversus Origenem magno Ecclesiae detrimento concitatae sunt, auctorem & incentorem fuisse Demetrium Alexandrinum. Nam cum ab Alexandro Hierosolymorum, & Theotisto Caesareae Episcopis Presbyterij ordinem suscepisset, agre latum à Demetrio, & in eum severe admodum consultum est, qua ludibriis castrationem ipsius propinando, qua per Synodum ex aliquot Aegypti Episcopis à se constatam Presbyterij honore hunc exuendo, & ab Ecclesiae communiione arcendo; cum iam eum docendi munere abdicandum, & Alexandria submovendum alia Synodus sanxisset. Tam gravi autem hominum flagrabat invidia, ut Synodorum illarum decretis consentiret universus orbis, excepta Palaestina, Arabia, Phoenicia, & Achaia. Diximus quoque consentaneum videri, vexandi ejus undequaque causas quarerentem Demetrium, opinionones ob novitatem suspectas, & ab Ecclesiae usu alienas traduxisse, ac forsitan damnaesse: Demetrio autem successisse Heraclam, Heraclae Dionysium Origeni faventem, nec concitas tamen adversus Origenem procellas Demetrii obitu fuisse confopitas, ingravescentibus multorum odiis, quos urebat ipsius gloria. Patebant praecipue horum insimulationibus ipsius Opera; quae vel ex tempore recitata, & ex ore concionantis excepta, ac proinde non satis pensiculate composita; vel ad instituentum secreto Ambrosium, non in publicam lucem lucubrata, & praeter Origenis tamen consilium ab Ambrosio publicata; vel immoderato ingenij luxuriantis calore profusa, malevolorum castigationibus obnoxia erant; cum praesertim adulteratis ipsius Operibus suos etiam errores Haeretici inseruissent, ut diximus. Sed nec facile dictum est, majorine ei fuerint detrimento calumniae invidorum, an infinitae amicorum laudes & praeconia, quibus adversariorum malevolentia acuebatur. Nonne tibi, inquit Origenes Homil. 25. in Luc. omnes videntur plus amasse quam expedit, & dum virtutem antiscisusque mirantur, dilectionis perdidisse mensuram? Quod quidem in Ecclesia patimur; plerique enim dum plus diligunt quam meremur, haec isclant, & loquuntur, sermones nostros doctrinamque laudantes, qua conscientia nostra non recipit. Alij vero tractatus nostros calamitantes ea sentire nos criminantur, quae nunquam sensisse nos novimus. Calumniis itaque appetitus Origenes, & novorum dogmatum